Quelle: http://manuscripta.at/?ID=498
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sacramentum non debet confici post cenam neque a fidelibus recipi non ieiunis nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ab ecclesia concesso vel admisso. Et sicut hec consuetudo ad vitandum aliqua pericula et scandala racionabiliter introducta est sic potuit simili et maiori racione introduci et racionabiliter observari quod licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque tamen postea a conficientibus sub utraque specie et a laycis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum huiusmodi consuetudo ab ecclesia racionabiliter introducta et diutissime observata sit habenda est pro lege quam non licet reprobare aut sine ecclesie auctoritate pro libito immutare. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum censeri debet erroneum et pertinaciter asserentes oppositum premissorum tamquam heretici arcendi sunt et graviter puniendi per diocesanos locorum aut inquisitores heretice pravitatis. In regnis seu provinciis in quibus contra hoc decretum aliquid forsan fuit attemptatum aut presumptum iuxta canonicas et legittimas sanctiones in favorem katholice fidei contra hereticos et eorum fautores salubriter adinventas.

Item ipsa sancta synodus decernit declarat super ista materia. Reverendissimo in Christo patri et domino Conrado archiepiscopo pragensi et suis suffraganeis precepta esse dirigenda in quibus eis committatur et mandetur auctoritate huius sacri concilii sub pena excommunicacionis et privacionis beneficiorum ut effectualiter puniant contra hoc decretum excedentes. Eos vero qui communicando populum sub utraque specie exorbitaverunt et sic faciendum esse docuerunt si ad penitentiam redierint ad gremium ecclesie suscipiant iniuncta eis pro modo culpe penitentia salutari. Qui vero ex illis ad penitentiam redire non curaverint animo indurato per censuras ecclesiasticas per eos ut heretici sunt coercendi invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Sequitur Collacio preambula posicioni pro veritate super punicione peccatorum mortalium publicorum